

communis ad tres Personas communitate prædicationis, ut S. Thomas docet quæst. xxx, art. iv. Si autem esset aliquid reale, vel illud esset primo diversum in quolibet individuo; et sic non daretur unus conceptus communis essentialiter prædicabilis de tribus Personis: vel non esset primo diversum in quolibet individuo, sed in aliquo convenienter, et illud cum sit reale, erit prædicatum essenziale personæ, et consequenter se habebit ut genus vel species respectu personæ, quod repugnat, quia sic persona haberet aliud genus aut speciem quam natura, et haberet sua constitutiva, et seriem prædicatorum seorsum, quod est duo prædicamenta ponere in individuis substantialibus, alterum naturæ, alterum personæ.

XX. Ad primum respondebitur infra disp. xvi, agendo de constitutivo Personæ Patris. Et summa solutionis est quod relatio non indiget fundamento ad existendum, sed ad respiciendum: in se enim subsistens est sine alio fundamento. Ad respiciendum autem subsequitur generationem, ad subsistendum vero præcedit. De quo ibi latius dicemus.

Ad secundum dicitur quod, ut docet S. Thomas q. xxx, art. iv, persona in communi non solum dicit, aut de formali incommunicabilitatem pro negatione, aut intentionem rationis, quæ est relatio subicibilitatis, quia hoc nomen persona neque est nomen negationis, neque intentionis, sed nomen rei. Nihil autem absurdius quam dicere personas esse nihil, et ens rationis, aut non ens, cum oculis et sensibus aperte videamus aliquid esse personam non tamquam carentiam aliquam, sicut cæcitatem, sed ut aliquid integrum, et plenum. Et præterea ista negatio debet esse fundata in aliquo positivo, alias esset purum

nihil, et non fundatur immediate in natura, si quidem potius naturæ communicabilis est de se, et sine illa invenitur natura in Christo; fundatur ergo in aliquo superaddito naturæ positivo, illud ergo, et non pura negatio erit formale constitutum personæ, licet negatio incommunicabilitatis comitetur. Negamus ergo antecedens argumenti.

Ad primam probationem dicitur, quod relatio constituit personam prout opposita, distingo; prout opposita specificative, et secundum se, concedo; prout opposita reduplicative, et exercitio, nego. Itaque forma de se dicens oppositionem, et sumpta ut tangit subjectum constituit personam, quia sic subsistit, non autem ratione exercitii oppositionis, ut tangit terminum. Ipsa quippe oppositio, quæ erga terminum exercetur, ipsamet in subjecto subsistit, et ut tenet se ex parte subjecti etiam opposita, et distincta est a suo correlativo, sed non consideratur ibi ejus exercitium in oppositione ad terminum, sed in affectione, seu adhæsiōne ad subjectum. Remanet autem distinctio in illa forma relativa hoc ipso quod in se habet oppositionem, sive consideretur ut afficiens subjectum, vel subsistens, sive ut exercens illam erga terminum. Et ad instantiam quod subsistere convenit ratione in, distingo; subsistere ut dicit conceptum incommunicabilis, nego, et sic pertinet ad personam, et relationem; subsistere, ut dicit per se existere præcise, transeat; et sic etiam convenit subsistentiæ absolutæ. Correspondet autem inhærentiæ accidentis, non solum ratione existentis, qua inhærentia est in alio, sed etiam ratione incommunicabilitatis, quia inhærentia est incommunicabilis.

Ad secundam probationem cons-

tat ex dictis personam et individuum non dicere solam subicibilitatem rationis ad superiora, aut negationem incommunicabilitatis, sed etiam fundamentum ejus positivum. Nec prima substantia differt a secunda sola negatione communicabilitatis, sed etiam positiva differentia individuationis a qua abstrahit, et subsistentiæ qua terminatur; imo potius prima subsistentia non solum opponitur universali, seu secundæ subsistentiæ, sed etiam parti, quia completa subsistentia, est; unde ejus constitutio per solam negationem aut contrapositionem ad universale non fit. Ad secundam vero probationem dicitur, quod formale individui, non est sola subicibilitas aut negatio, sed etiam positiva illa differentia, qua singulare contrahit speciem, et redditur singulare verum et reale, et illa terminatio qua redditur subsistens adæquate, et totaliter, unde nascitur incommunicabilitas, quod est subsistere suppositaliter seu personaliter.

Ad tertium respondetur valde inter se pugnare in hac parte Vasquez et Suarez; ille enim contendit personam, seu subsistentiam non esse conceptum communem ad Personas divinas qui ab ipsis abstrahat, et de eis quidditative prædicetur. Ita docet hic disp. cxxx, cap. ii, et disp. clviii, cap. vii; Suarez vero lib. i de Trinitate, c. iii, sentit dari conceptum communem personæ ad Personas divinas, illumque esse univocum, non tamen universale generis, aut speciei, sed quasi transcendens, quem sequitur Ruiz disput. xxxv, sect. i, num. viii; Valentia, et alii. Alarcon tract. v, disput. iv, cap. ii distinguit de persona in communi quando prædicatur de personis particularibus sub hoc nomine persona, ut dicendo: Hæc persona est persona, vel sub aliis no-

minibus, ut: Filius est Persona, Pater est Persona, etc.

Et primam dicit esse prædicationem essentialem, nec id negari a Vasquez, eamque esse mentem S. Thomæ in hac quæstione xxx, art. iv, et eorum qui docent personam esse communem per modum universalis quidditative de tribus Personis. Addit tamen hanc prædicationem nec esse proprie univocam, nec analogam, sed quasi analogam, sentiens in hoc cum Ruiz ubi supra sectione tertia.

Secundam vero prædicationem dicit etiam esse essentialem, et non denominativam, seu accidentalem, in quo contra Vasquez se sentire dicit, non tamen esse univocam prædicationem, sed quasi analogam.

XXI. Nos resolutionem hujus habemus apud D. Thomam in hac quæstione xxx, art. iv, ubi inquit, quod persona est nomen commune communitate rationis, non sicut genus, aut species, sed sicut individuum vagum ut aliquis homo. Advertit tamen Cajetanus in commentario illius articuli et bene quod cum dicitur: Pater est Persona, licet ly persona comparative ad naturam Patris, et ad Deum se habeat ut modus, et ut individuum vagum, tamen respectu illius subjecti, scilicet respectu Patris, essentialis prædicatio est, tum ratione communi, quia modus subsistendi essentialis est singularibus substantiæ; tum ratione speciali, quia Persona divina significat relationem, et hæc prædicatur essentialiter de paternitate. Sed hæc secunda ratio non multum urget, quia relatio prædicat ipsum genus relativum, quod de relationibus paternitatis, et filiationis prædicatur, quasi de specie diversis, magisque prædicat naturam, seu formalem quidditatem relationis, quam modum singularitatis vel Personæ.

XXII. Quapropter rejicienda est futilis illa distinctio de prædicatione personæ, ut sic de tribus Personis sub nomine personarum, vel sub nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Quid enim magis interest nomine Patris nominare subjectum illius propositionis quam nomine primæ Personæ, vel hujus Personæ? Sicut idem est dicere Petrum, vel hunc hominem designato Petro: Petrus enim, et hic homo æquipollent, et pro eodem supponunt, et quidquid essentialiter prædicatur de hoc homine, essentialiter dicitur de Petro. Ergo si persona essentialiter dicitur de hac persona sub nomine personæ, ut dicendo: Hæc persona est persona, prima Persona est persona, etiam essentialis prædicatio erit: Pater est Persona, Filius est Persona, quia Pater essentialiter pro eodem supponit atque prima Persona, vel hæc Persona. Et hoc solum est variare nomina dicendo Patrem vel primam Personam: quoad rem enim idem sunt.

XXIII. De prædicatione vero ipsa, an sit univoca vel analogica, universalis vel particulatis, essentialis vel accidentalis, dicimus directe, et proprie nullam horum esse, sed reductive pertinere ad speciem, seu ad universale univocum, aliquid tamen participare de transcendentali, et modo analogo, et simpliciter essentialem esse. Hoc totum includitur in illa resolutione D. Thomæ, quod non prædicatur tamquam genus, vel species, sed ut individuum vagum. Et pro ejus explicatione advertit quod persona, seu subsistentia non est per se in prædicamento, sed reductive, ut complementum, et terminus ejus; sicque prædicatio ejus est reductive universalis de illo prædicamento. Similiter singulare, seu individuum pertinet ad seriem prædicamenti per se, ut subjicibile, non ut prædicabile, nisi tantum de

uno. Si ergo ipsa ratio singularitatis accipiatur in communi, extrahitur a recta serie, et linea sui prædicamenti, seu a loco quem in illo sortitur; et sic non mirum quod non prædicetur ut genus, vel species, sicut commune, et universale directe, sed reductive. Ex hoc ergo probatur hanc prædicationem, qua individuum, vel persona prædicatur de hac vel illa persona, non esse directe, et per se prædicationem generis, vel speciei, aut univocam, vel universalem, sed solum reductive, quia iste modus individuationis, et personalitatis non pertinet directe ad prædicamentum, nec illud per se constituit: ergo non potest nisi reductive importare rationem communem, et universalem, sed solum reductive; sicut etiam differentie possunt concipi in communi, ut rationale in communi ad hoc et illud rationale, et sensitivum ad hoc vel illud sensitivum, nec tamen habent rationem generis, aut speciei, quæ per alias differentias contrahatur; sic enim esset abire in infinitum, cum illæ differentie contrahentes rursus contraherentur per alias, et illæ aliæ per alias, et sic in infinitum; sed quælibet differentia est conceptus simplex, qui non resolvitur in genus et differentiam. Individuatio autem differentia quædam est, et personalitas, seu subsistentia est terminatio hujus individuationis, et ad lineam individuationis pertinet. Non ergo erit per se universale aut univocum tamquam genus vel species abstrahens a differentis et contrahibilis per illas: hoc enim eodem modo repugnat in individuatione, sicut in aliis differentis, quia et ipsa individuatione differentia quædam individualis est.

XXIV. Quomodo ergo concipitur conceptu communi, et quid est reductive esse universale, esse genus, aut speciem?

Respondeo esse commune ad modum transcendens, sed non perfecte analogum, neque perfecte univocum: dupliciter enim aliquid concipitur conceptu communi. Uno modo per totalem separationem ab inferioribus, et ab eorum differentiis, sicut genera, et species præscindunt a differentiis, quibus contrahuntur ad sua inferiora. Alio modo concipitur aliquid conceptu communi, non per totalem separationem, et præcisionem ab inferioribus, sed includendo, et retinendo illa actu, non tamen exprimendo, et explicando omnia, quæ ibi in illo objecto sunt, quia talis conceptus non omnia potest complecti, aut non vult, sed considerat rem aliquam sub aliqua confusione, et non sub omnimoda expressione. Quo præscindendi modo uti sumus explicando attributorum distinctionem in Deo præcedenti tomo, disput. IV, articulo VI, et explicando conceptum communem entis in logica quæstione XIII. Et sumitur iste modus præscindendi penes confusum, et explicitum, non penes diversarum rerum, seu objectorum separationem, tum ex his quæ accidunt in sensu, tum in intellectu. In sensu quidem: nam videmus aliquando aliquid a longe, sub quadam confusione, et non discernendo omnia distincte: cum vero accedit prope, distinguimus, et discernimus eandem rem; et quando in confuso cognoscebamus, res illa non in abstracto, et in potentia continebat id quod postea cum expressione cognoscitur, sed totum illud in actu ibi habebatur, sed non omni modo et distincte exprimebatur attingendo et complectendo sigillatim omnia quæ ibi sunt. Similiter transcendentia non possunt præscindere ab inferioribus remanendo in potentia ad inferiora, si quidem etiam includuntur in illis, et ita nunquam pos-

sunt perfecte ab illis segregari, sed solum dicitur præcisio, quia est confusa cognitio omnium in illa ratione communissima entis, quæ postea explicatur et exprimitur in inferioribus, singula cognoscendo. Et attributa divina cum sint actus purus, unum non est in potentia ad aliud, sed actu est unumquodque, quia tamen conceptus noster non valet totum quod est in illo objecto penetrare, separat unum attributum ab alio, id est, exprimit unius formalitatem tantum, relinquendo alteram ibi actu inclusam, sed in confuso attactam, et sic ab actuali explicatione præcisam, non ab actuali inclusione.

XXV. Igitur singulare, seu individuum, seu differentia individualis, et similiter persona, seu subsistentia, quæ est incommunicabilis terminatio individui non concipitur in communi per conceptum totaliter præcisum ab inferioribus, et qui maneat in potentia, ut per additionem differentie inferioris contrahatur, sed solum per conceptum ipsiusmet singularis, seu singularitatis in confuso, qui tamen determinatur per expressionem ipsius singularis ut designati et determinati, sicut dicit D. Thomas in hac quæstione XXX, articulo IV, quod: « Individuum in communi seu individuum vagum dicit modum singularitatis, scilicet quod sit subsistens distinctum ab aliis, sed in nomine singularis designati significatur determinatum distinguens, ut in nomine Socratis hæc caro, et hoc os. » Conceptus ergo singularis in communi, et in particulari est penes confusum, et determinatum, scilicet representare rationem singularis subsistentis, sed nondum explicite designare, ita quod in conceptu singularis in communi includitur actu hoc et illud singulare, sed nondum explicatur

designate, sicut quod videtur a longe videtur in confuso, sed nondum explicite determinatur, licet actu includat illud. Et hoc ob duplicem rationem, tum quia individuatio seu singularitas habet se ut differentia ultima: conceptus autem differentiae non contrahitur per aliam differentiam, nec est resolubilis in duos conceptus, alterum genericum, alterum differentiale, ne sit processus in infinitum, ut diximus. Non potest ergo singularitas abstrahere ab hac et illa singularitate, quasi conceptus contrahibilis per additionem differentiarum, sed ut conceptus magis confusus, vel magis expressus ejusdem simplicis differentiae. Tum quia quando concipitur singularitas in communi, non restant alia principia individuationis ad designandum et contrahendum illud singulare, et ad singularizandum amplius: ergo jam in illo conceptu singularitatis includebatur actu hoc singulare, quia principia individuationis ejus ibi includebantur, sed nondum designatio exprimebatur.

Quare conceptus ille communis se habet ut transcendens, seu per modum conceptus differentiae, qui non est resolubilis in duos conceptus, alterum genericum, alterum differentialem, sed eodem conceptu concipitur in communi penes conceptum confusum, et in particulari penes magis determinatum et explicitum.

XXVI. Quod si quæretur, an sit analogum, respondeo non esse, quia analogum requirit inæqualitatem in participantibus illud, ita ut in uno sit simpliciter, in alio secundum quid; in uno per attributionem et denominationem, in alio essentialiter. Singulare autem seu singularitas in communi, non respicit inferiora, scilicet hoc et illud singulare designatum ut inæqualia, quia omnia singularia æqualia sunt,

non solum in natura, sed etiam in singularitate, non unum secundum quid, et aliud simpliciter. Habet tamen modum analogi, quantum ad hoc quod est includi in inferioribus et per modum transcendentis se habere ad omnes modos inferiores; sed quia illa inferiora non sunt inæqualia, non pervenit ad rationem analogi simpliciter. Quod autem diximus de singularitate, eodem modo dicimus de persona, quæ est terminatio singularitatis. Et a fortiori dicimus de Personis divinis, quia Personæ divinæ sunt omnino æquales, et ita licet Persona divina in communi includatur intime in ipsa determinatione et differentia inferiori, quia tamen inæqualitatem non habent, nec ipsa ratio communis inæqualitatem facit, analogum non est.

Nec obstat quod illæ Personæ determinatæ, seu singularia sint primo diversa, quia sunt primo diversa ut omnino æqualia in esse, et solum in oppositione correlativa primo diversa, et ita ratio communis inæqualitatem non causat, quod est non esse analogum, sicut ens respectu Petri et Pauli, seu duorum individuorum ejusdem speciei non est analogum in esse, quia inferiora in esse sunt omnino æqualia; et ideo iste conceptus communis singularitatis habet aliquid de analogo in quantum se habet tamquam transcendens, et aliquid de unico, ut dicit æqualitatem inferiorum, et ita reductive est universale univocum, non simpliciter.

Quod vero sit conceptus essentialis persona in communi, et individuum in communi respectu hujus et illius, ex dictis manet probatum, quia est prædicatum quidditativum persona in communi, respectu hujus et illius personæ, si quidem est formale constitutivum ejus, et prædicatum intrinsece et necessario

connexum: nec enim potest definiari aut concipi constituta hæc persona, et hoc singulare, nisi includendo personam in communi.

## ARTICULUS II.

*Utrum detur in Deo subsistentia absoluta præter tres relativas?*

I. Ne quæstio ista solum reddatur de nomine, an videlicet illud, quod tribus relativis Personis et subsistentiis commune est in Deo, sit vocandum subsistentia, an non, supponimus circa ipsam rem significatam nomine subsistentiæ quatuor considerari seu inveniri.

Primum, est singularitas, quia res in universali non subsistunt, sed secundæ substantiæ mediis primis subsistunt et substant.

Secundum, est incommunicabilitas, ut in supposito, seu persona, quæ est totaliter, et complete subsistens, ubi invenitur sic naturam subsistere in supposito, quod ulteriori termino in quantum sic supposita et terminata, communicabilis non est.

Tertium, est modus existendi per se, qui etiam solet vocari subsistentia, distinguiturque ab ipsa suppositalitate ut incommunicabili, sicut videmus in anima rationali, quæ est per se subsistens separata a corpore, nec tamen est suppositum, aut persona incommunicabilis, sed est forma unibilis.

Quartum, est ipsum concretum naturæ per modum habentis ipsam, quod est explicare naturam non solum per modum principii quo, et per modum formæ, qua aliquid constituitur, ut deitas, humanitas, sed etiam per modum quod, seu habentis naturam, ut Deus homo; nam homo sumptus in communi et sine

suppositis etiam est in concreto habens humanitatem.

II. Igitur apud omnes primo certum est, quod remotis subsistentiis relativis, et considerata forma deitatis secundum se, est aliquid singulare, quia non est aliquid universale, sed habet unitatem singularem a parte rei, si quidem a parte rei est unus Deus in tribus Personis, ut docet fides. Unitatem ergo singularem a tribus Personis non habet, sed ex se unus Deus singularis est: sicut ex se et non a Personis singulare et determinatum esse habet.

Secundo, certum est quod illa natura secundum se est existens existentia independenti ab omni alio extra se, imo est ipsum esse a se, et per se, cum sit actus purus, de cujus formalissimo conceptu est existentia et esse a se.

Tertio, est certum naturam, divinam, seu hunc Deum secundum se, et remotis personalitatibus relativis non esse suppositum, seu personam incommunicabilem, alias essent quatuor Personæ, imo essentia ipsa si esset persona incommunicabilis, non communicaretur tribus relativis Personis, sed esset opposita illis; et sic ipsæ Personæ relativæ non essent Deus, neque divinæ, quod est hæreticum. Unde recte Eymericus II parte directorii, qu. II, art. VII et XII, erroris damnat assertum illud quod attribuitur Raymundo Lullio, nempe quod hic Deus, seu deitas, sit quoddam suppositum vel persona communis tribus Personis. Et D. Thomas in hac quæstione XXX, art. IV, infert pro magno inconvenienti quod in Deo sit una Persona trium Personarum, sicut est una essentia. Et quæstione XL, articulo III docet quod, remotis proprietatibus personalibus, non remanet hypostasis, seu Persona in divina natura.